



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An ex alijs causis, præter sex allatas, possit Episcopus renuntiate
Episcopatu?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad exequendum officium suum pastorale, uti colligitur ex *c. 1. h. t.* Tertia est defectus scientiæ (præsertim ad spirituum administrationem necessariæ & sufficientis, nisi confirmatus talis sufficientem quidem scientiam non habeat, spes tamen sit, quòd intra breve tempus sufficienter de ea sibi sit provisorus) Quarta est malitia plebis (cui cum suo Episcopo pessimè convenit, ut nullus ex hoc Episcopo fructus apud cervicis durissimæ plebem spectari possit) Quinta est grave scandalum populi, quod ex præsentia huius Episcopi patitur (non quidem si scandalum tantum Pharisæicum sit, quod cavendum non esse, ipse Christus admonet, sed si scandalum sit, quod ex ignorantia, aut infirmitate populi provenit, & communiter scandalum pusillorum vocatur) Et sexta denique causa est irregularitas, cum talis Episcopus non possit exercere actus Episcopales, nec cum illo à Summo Pontifice dispensetur. Hæ tamen causæ omnes ad duas potissimum revocari possunt, ad utilitatem scilicet aut necessitatem Ecclesiæ; harum enim una si non interveniat, neque cum his causis facilè dispensatur.

§. II.

An ex aliis causis, præter sex allatas, possit Episcopus renuntiare Episcopatu?

Rest. probabile esse, quòd possit, dummodò causa sit utilis Ecclesiæ, & honesta, cum per enumeratas à jure Canonico causas, frequentius occurrentes, non excludantur aliæ honestæ causæ, utilitatem Ecclesiæ, maximè concernentes; & quòd in jure dicatur, petitio-

nem cessionis ex aliis causis factam, non esse discretam, prout habetur in *c. cit. nisi pridem §. verum h. t.* Intelligendum tantum videtur de aliis causis non justis, nec honestis, sed indiscretis &c. nisi malis dicere, omnes alias causas ad has 6. revocari posse, ita ut non audiendus sit Episcopus, si nullam ex allatis sex assignare possit: & hinc non videtur audiendus Episcopus, ad renuntiandum suo Episcopatu, cui utiliter adhuc præesse potest, si sub prætextu humilitatis, aut divinæ inspirationis, ut quietius Deo servire possit, ut contemplativæ vitæ magis deditus sit, ut in religione profiteatur &c. renuntiare velit, uti patet ex citato *c. nisi §. ex c. 2. de translat. Episc.* neque professio in religione sine licentia Summi Pontificis facta, aut votum, quod de ingredienda religione Episcopus fecit, valet, quia Deus talem promissionem contra prohibitionem ab Ecclesia factam non acceptat.

§. III.

Ex quibus causis fieri possit renuntiatio Ecclesiarum, dignitatum Ecclesiasticarum, & beneficiorum curatorum, vel etiam simplicium?

Quæ causæ à jure conceduntur, ut Episcopi suis Episcopatibus renuntiare possint, eæ etiam sufficientes sunt ad renuntiandum aliis dignitatibus, & beneficiis, tam curatis, quàm simplicibus, quæ enim sufficientes sunt, ut arctius vinculum dissolvatur, sufficientes etiam, ut dissolvatur minus arctum vinculum: imò plures adhuc, & leviores causæ sunt, ob quas extra curiam, ordinarii locorum resignationes beneficiorum, purè factas, admit-